



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

An autem cum arrha datur, liceat resilire cum sola illius jactura?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

contractus mutuus, qui absque traditione  
aut pretii perficitur solo consensu partium ex-  
terius significato, quo se mutuo obligant, ven-  
ditor quidem ad mercem tradendam, emptor  
verò ad pretium solvendum, l. 1. ff. de contrah.  
empt. & Instit. l. 3. tit. 24. Tamen sine traditio-  
ne non habet ultimum suum complementum,  
nec transfertur dominium. At non ideo licet  
uni contrahentium altero invito ante traditio-  
nem à conventione discedere l. 3. Cod. de re  
scind. vendit. nam pacta obligant in conscientia.

*An autem cùm arrha datur, liceat resilire cùm  
sola illius jactura?*

Respondet De Lugo hoc pendere ex con-  
suetudine, quæ intentionem contrahentium  
optimè declarat. Quare si usus est, ut cum  
sola jactura arrhæ impunè recedant, ea solum  
videtur intentio. Alioqui censebitur data  
arrha ad securitatem obligationis contractus  
etiam ex parte dantis, qui eam implere debeat.

*Utriusque contractus justitia in æquali valo-  
re mercis, & pretii consistit. Merx est res  
quævis pretio temporali æstimabilis, & para-  
bilis. Pretium verò est pecunia, quæ inventa  
est, ut sit mensura, & pretium omnium, quæ  
in contractus humanos venire solent: nam  
ante usum pecuniæ erat solum permutatio,  
quæ est pactio mercis pro merce, vel etiam  
nunc*

nunc pecunia pro pecunia præsentis. Requiritur autem ut pretium sit definitum, l. 35. ff. de contrah. empt.

*Not.* Cùm res venditur, censetur cum ea vendi id omne, - quod est pars illius, vel cum ea connexum, & ejus accessorium, nisi expressè excipiatur. Sic fundo empto censentur arbores in eo consistere, & fructus pendentes vendi; nam fructus rei cohærentes censentur pars illius, l. 44. ff. de rei vindict. Secùs de fructibus avultis.

Q. 2. *Quodnam est pretium justum rerum venalium?*

*Resp.* Justum pretium est illud, quod exæquat valorem rei venalis. Duplex est, scilicet legitimum, & vulgare, quod etiam naturale dicitur. Pretium legitimum est illud, quod lege Principis, vel Magistratū decreto constitutum est. Vulgare est, quod communī hominum aestimatione constituitur, spectatis mercium copia, vel penturia, venditorum impensis, labore, periculis, modo vendendi, emptorum multitudine, vel paucitate, &c. seclusis fraudibus, ac monopolis injustis, juxta l. pretia ff. ad legem falcid. *Pretia rerum non ex effectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur.* hoc est, definiuntur.

Hinc pretium justum, & injustum potest esse diversum in diversis locis, & temporibus

II 2 pro